



BOLETÍN DEL CLERO  
DEL  
OBISPADO DE LEÓN.

DOMINICA I OCTOBRIS

IN SOLEMNITATE

**SSMI. ROSARII B. MARIAE VIRGINIS**

DUPLEX 2. CLASSIS

IN PRIMIS VESPERIS.

*Antiphonae.*

1. Quae est ista, \* speciosa sicut colúmba, quasi rosa plantáta super rivos aquárum?

*Psalmi ut in Festis B. M. V.*

2. Virgo potens, \* sicut turris David; mille clypei pedentes ea, omnis armatúra fórtium.

3. Ave, María, \* grátia plena, Dóminus tecum, benedicta tu in muliéribus.

4. Benedíxit te Dóminus \* in virtute sua, quia per te ad níhil redégit inimícios nostros.

5. Vidérunt eam \* filiae Sion vernántem in flóribus rosárum, et beatíssimam praedicavérunt.

*Capitulum. Eccli. 24, 39.*

In me grátia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis: ego quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificávi.

*Hymnus.*

Coeléstis áulae Núntius,  
Arcána pandens Núminis,  
Plenam salútat grátia  
Dei Paréntem Vírginem.  
Virgo propínquam sanguine  
Matrem Joánnis visítat,

Qui cláusus algo géstiens  
Adésse Christum núnctiat.  
Verbum, quod ante saecula  
E mente Patris pródiit,  
E Matris alvo Vírginis  
Mortális Infans náscitur.  
Templo puéllus sístitur,  
Legique paret Légifer  
Hic se Redémptor páupere  
Prétio redémptus ímmolat.  
Quem iam dolébat pérditum,  
Mox laeta Mater ínvenit  
Ignóta doctis méntibus  
Edisseréntem Fílium.  
Jesu, tibi sit gloria,  
Qui natus es de Vírgine,  
Cum Patre et almo Spíritu  
In sempitérna saecula.  
Amen.

*Sic terminantur Hymni ad Completor, et ad Horas.*

v. Regina Sacratíssimi Rosárii, ora pro nobis.  
r. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

**AD MAGNIFICAT ANTIPHONA.**

Beata es, \* Virgo María, Dei Génitrix, quae credidísti Dómino; perfécta sunt in te quae dicta sunt tibi, intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

*Oratio.*

Deus, cuius Unigénitus per vitam, mortem et resurrectiórem suam nobis salútis aetérnae praemia comparávit: concede

quaésumus; ut haec mystéria sanctíssimo Beátae Mariae Vírginis Rosário recoléntes, et imitemur quod cóntent, et quod promíttunt, assequámur. Per eúmdem Dóminum.

**AD MATUTINUM.**

*Invitatorium.* Solemnitátem Rosárii Vírginis Maríae celebrémus: \* Christum eius Fílium adorémus Dóminum.

*Hymnus.*

In monte olívis cónsito  
Redémptor orans, prócidit,  
Moeret, pavéscit, déficit,  
Sudóre manans sanguinis.  
A proditore tráditus  
Raptátur in poenas Deus,  
Durísque vinctus néxibus  
Flagris cruéntis caeditur.  
Intéxta acútis séntibus,  
Coróna contuméliae,  
Squallénti amíctum púrpura,  
Regem corónat gloriae.

Molis crucem ter árduae,  
Sudans, anhélans cóncidens,  
Ad montis usque vérticem  
Gestáre vi compéllitur.

Configus atro stípite  
Inter sceléstos innocens,  
Orándo pro tortóribus,  
Exsánguis efflat spíritum.

Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Vírgine,  
Cum Patre et almo Spíritu  
In sempitérna saecula.  
Amen.

*In I Nocturno.*

*Ant.* Angelus Gábriel \* nuntiavit Mariae: et concépit de Spíritu Sancto.

*Psalmi trium Nocturnorum ut in Festis B. M. V.*

*Ant.* Intrávit Mária \* in domum Zacháriæ, et salutávit Elísabeth.

*Ant.* Péperit Filium \* suum primogénitum, et reclinávit eum in praesépio.

*v.* Sancta Dei Génitrix semper Virgo Maria.

*R.* Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

LECTIO I

*De Libro Ecclesiastici.*

*Cap. 24.*

In ómnibus réquiem quaeſívi et in haereditáte Dómini morábor. Tunc praecépit, et dixit mihi Creañor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Isræl haereditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Ab inítio, et ante saecula créata sum, et usque ad futúrum saeculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honoríficáto, et

in parte Dei mei haeréditas illius, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

*R.* Súmite psaltérium iucundum in insígni die solemnítatis vestrae: \* Et exultáte Vírgini adiutríci nostrae.

*v.* Cantáte ei cáanticum novum: annuntiate inter gentes glóriam eius. Et exultáte.

LECTIO II

Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantatio rosae in Jéricho: Quasi olíva speciosa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum iuxta aquam in platéis. Sicut cinnamónum, et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha électa dedi suavitátem odoris: et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatióne meam, et quasi bálsamum non mixtum odor meus. Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiae.

*R.* Vidi speciósam ascendéntem désuper rivos aquárum cuius inaestimábilis odor erat nimis: \* Et sicut dies verni circúndabant eam flores rosárum et lilia conválliūm.

v. Astitit Reginá a dextris  
tuis in vestítu deauráto circúm-  
data varietáte. Et sicut.

LECTIO III

Ego mater pulchrae dilectió-  
nis, et timóris, et agnitionis,  
et sanctae spei. In me grátia  
omnis viae et veritatis, in me  
omnis spes vitae et virtutis.  
Transíte ad me omnes qui con-  
cupiscitis me, et a generatióni-  
bus meis implémini: Spíritus  
enim meus super me dulcis, et  
haeréditas mea super mel et  
favum: Memória mea in gene-  
rationes saeculórum. Qui edunt  
me, adhuc esúrunt: et qui bi-  
bunt me, adhuc sítient. Qui au-  
dit me, non confundétur: et qui  
operántur in me, non peccá-  
bunt. Qui elúcident me, vitam  
aetérnam habebunt.

R. Quae est ista quae proc-  
césit, sicut sol, et formosa tam-  
quam Jerúsalem? Vidérunt eam  
fillae Sion et beátam dixérunt: \*  
Et regínae laudavérunt eam.

v. Et sicut dies verni circúm-  
dabant eam flores rosárum lília  
convállium. Et regínae. Gloria  
Patri. Et regínae.

IN II NOCTURNO

*Ant.* Cum indúcerent \* Jesum  
paréntes eius, ut sísterent eum  
Dómino, Símeon accépit eum in  
ulnas suas, et benedíxit Deum,

*Ant.* Requiréntes \* Jesum pa-  
réntes eius, invenérunt illum  
post tríduum in medio doctó-  
rum.

*Ant.* Coepit contristári, \* et  
factus est sudor eius in horto,  
sicut guttae sanguinis.

v. Post partum, Virgo, in-  
violáta permansísti.

R. Dei Génitrix, intercéde  
pro nobis.

*In II Nocturno.*

LECTIO IV

Cum Albigénsium haeresis  
per Tolosátium régiónem impie  
grassarétur, atque áltius in dies  
radíces ágeret, sanctus Domíni-  
cus, qui nuper Praedicatórum  
órdinis fundaménta iécerat, ad  
eam convelléndam totus incú-  
buit. Id ut praestáret validius,  
auxílium beátae Vírginis, cuius  
dignitas illis erróribus impuden-  
tíssime petebátur, cuíque datum  
est cunctas haereses interímere  
in universo mundo, eníxis pré-  
cibus implorávit. A qua (ut  
memóriae próditum est) cum  
móntus esse ut Rosárium pô-  
pulis praedicáret, velut singulá-  
re advérsus haereses ac víta  
praesídium; mirum est, quanto  
mentis fervóre et quam felíci  
succéssu iniúncum sibi munus  
sit execútus. Est autem Rosá-  
rium certa precándi fórmula,  
qua quíndecim angelicárum sa-

lutationum décades, oratione dominica interiecta, distingui-  
mus, et ad eárum singulas tó-  
tidem nostrae reparatiónis mys-  
teria pia meditatióne recólimus.  
Ex eo ergo tempore pius hic  
orándi modus mirabiliter per-  
sanctum Domínicum promulgá-  
ri augerique coepit; quem eiús-  
dem institutórem auctorémque  
fuisse Summi Pontífices apostó-  
licis litteris passim affirmárunt.

R. Tu glória Jerúsalem, tu  
laetitia Isräel, tu honorificén-  
tia pópuli nostri fecísti viríliter: \*  
Quia cunctas haereses sola in-  
teremísti.

v. Pulchra es et decóra, te-  
rribilis ut castrórum ácies ordi-  
nata. Quia.

#### LECTIO V

Innumerábiles porro fructus ex  
hac tam salutári institutióne in  
christiánam rempúblicam dima-  
nárunt, inter quos victória illa  
mérito numerátur, quam Sanctíssimus Póntifex Pius quintus,  
et ab eo inflammáti christiáni  
príncipes apud Echínadas ínsu-  
las de Turcárumb tyránnō po-  
tentíssimo reportárunt. Nam  
cum illa ipsa die ea victória  
reláta sit, qua die sanctíssimi  
Rosárii sodalítates per univér-  
sum orbem consuétas supplica-  
tiones perágerent, statutásque  
preces de more fúnderent, iis

précibus haud immérito refértur  
accépta. Quod quidem cum  
étiam Gregórius tértius déci-  
mus testátus esset, ut pro tam  
singulári beneficio beátae Vír-  
gini sub appellatióne Rosárii pe-  
réennes grátiae ubique terrárum  
haberéntur, in ecclésiis ómni-  
bus, in quibus altáre Rosárii  
foret, prima quaque Octóbris  
Domínica Offícium ritu dúplici  
maióri perpétuo celebrándum  
indíxit: aliíque Pontífices Rosá-  
rium recitántibus, eiusdémque  
Rosárii sodalítibus indulgén-  
tias pene innúmeras concessére.

R. Déxtera tua magnificáta  
est in fortitúdine, déxtera tua  
confrégit inímicos. \* Subméri-  
sunt in aquis veheméntibus, et  
opéruit eos mare.

v. Benedíxit te Dóminus in  
virtúte sua, quia per te ad níhi-  
lum redégit inímicos nostros.  
Subméri.

#### LECTIO VI

Clemens vero undécimus áni-  
mo réputans insígnem páriter  
victóriam anno millésimo sep-  
tingentésimo décimo sexto in  
Hungaríae regno á Cárolo sex-  
to in imperatórem Romanórum  
electo de innúmeris Turcárumb  
cópiis relátam, eo die contigisse  
quo festum Dedicatiónis sanc-  
tae Maríae ad Nives celebraré-  
tur, atque eódem ferme téin-

pore, quo sanctissimi Rosárii confrátres pùlicam solemnémque supplicatióne in alma Urbe ingénti pòpuli concúrsu magnáque religióne peragéntes, férvidas ad Deum preces pro Turcárum depressoне fùndarent, ac poténtem opem Deíparae Vírginis in auxílium Christianórum humiliiter implorárent: eam ob rem, victóriam illam, nec non liberátam páulo post eorúmdem Turcárum obsidióne Corcyréensem ínsulam, eiúsdem beátae Vírginis patrocínio pie cénsuit adscribéndam. Quamóbrem ut huius quoque tam insignis benefícií perénnis semper et memória extáret et grátia, sanctissimi Rosárii festum eádem die eodémque ritu celebrandum ad Ecclésiam univérsam exténdit. Haec ómnia Benedíctus décimus tértius in Breviário Románo appóni ius- sit. Leo autem tértius décimus in turbulentíssimis Ecclésiae tempóribus, diúque preméntium malórum saeva tempestáte, cunctos in Orbe fidéles, iterátis Apostólicis litteris ad Mariális Rosárii, praesértim per Octóbrem mensem, frequéntiam veheménter incéndit, áucto quoque ánnui festi solemnitatis ritu, additáque Litaníis Lauretánis Regínae Sacratissimi Rosárii invocatióni, et offício de eádem

solemnitáte próprio Ecclésiae univérsae concéssso. Sanctissimam ergo Dei Genitricem cultu hoc eídem gratíssimo iúgi- ter venerémur, ut quae tóties Christi fidélibus, Rosárii préci- bus exoráta, terrénos hostes profligáre dedit ac pérdere, inférnos páriter superáre con- cédat.

R. Signum magnum appáruit in coelo: múlier amícta sole, et luna sub pédibus eius: \* Et in cápite eius coróna stellárum duódecim.

v. Dábitur cápiti tuo aug- méntum gratiárum, et coróna ínclyta próteget tc. Et. Glo- ria. Et.

*In III Nocturno.*

*Ant.* Apprehéndit \* Pilátus Jesum, et flagellávit.

*Ant.* Mílites plecténtes \* corónam de spinis imposuérunt su- per caput eius.

*Ant.* Crucis impérium \* super húmerum eius: regnávit a líg- no Deus.

v. Speciosa facta es et suávis.

R. In delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Léctio sancti Evangélii secún- dum Lucam.

LECTIO VII

C. I

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civi-

tátem Galilaéae, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilia sancti Bernárdi  
Abbátis.

*Sermo de S. María.*

Ad commendationem grátiae suae et ad destructiónem humánae sapiéntiae, Deus de foemina, sed Vírgine dignátus est carnem assúmere, ut similem símili rédderet, contrárium contrário curáret, pestíferam spínam evélleret, peccáti chirógraphum potentíssime deléret. Eva spina fuit, María rosa éxtitit. Eva spina vulnerando, María rosa ómnium afféctus mulcéndo. Eva spina infígens ómnibus mortem, María rosa reddens salutíferam ómnibus sortem. María rosa fuit cándida per virginitátem, rubicúnda per caritátem. Cándida carne, rubicúnda mente, cándida virtútem secundo, rubicúnda vícia calcando. Cándida affectum purificando, rubicúnda carnem mortificando: cándida Deum diligendo, rubicúnda próximo compatiéndo.

R. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: \* Et flores mei fructus honóris et honestatis.

v. Ego mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei. Et flores.

LECTIO VIII

*In serm. de Aqueductu.*

Verbum caro factum est, et hábitat iam in nobis. Hábitat in memória nostra, hábitat in cogitatione, quia usque ad ipsam descéndit imaginaciónem. Quonam modo, inquis? Nimírum iacens in praesépio, in virginali grémio cubans, in monte praedicans, in oratione pernótans, in cruce pendens, in morte pallens, liber inter mórtuos et in inférno ímperans, seu étiam tértia die resúrgens et Apóstolis loca clavórum, victóriæ signa demónstrans, novíssime coram eis coeli secréta conscéndens. Quid horum non vere, non pie, non sancte cogitátur? ¶ Quidquid horum cōgito, Deum cōgito, et per ómnia est Deus meus. Haec ego meditári dixi sapiéntiam, et prudéntiam iudicávit eructare memóriam suavitatis: quóniam in huiuscémodi núcleis virga sacerdotális copiosa prodúxit, quam in supérnis háuriens, ubérius nobis María refúdit. In supérnis plane et ultra Angelos, quae Verbum ex ipso Patris corde suscépit.

R. Surge, própera, amíca  
mea: iam enim hiems tránsiit,  
imber ábiit et recéssit: \* Flores  
apparuérunt in terra nostra.

v. Dóminus dabit benigni-  
tátem, et terra nostra dabit  
fructum suum. Flores. Glória  
Patri. Flores.

LECTIO IX

*De Homilia Dominicae.*

**Ad Laudes.**

*Ant. 1.* Laetáre, \* Virgo ma-  
ter; surrexit Christus de se-  
púlchro.

*Ant. 2.* Ascéndit Deus \* in  
iubilatióne, et Dóminus in voce  
tubae.

*Ant. 3.* Spíritus Dómini \* re-  
plévit orbem terrárum.

*Ant. 4.* Assúmpta est \* Ma-  
ría in coelum; gáudent Angeli;  
laudántes benedícunt Dóminum.  
Allelúia.

*Ant. 5.* Exaltáta est \* Virgo  
María super choros Angelórum,  
et in cápite eius coróna stellá-  
rum duódecim.

(*Capitulum ut in I Vesperis.*)

*Hymnus.*

Jam morte victor óbruta  
Ab ínferis Christus redit,  
Fractisque culpae vinculis,  
Coeli reclúdit límina.  
Visus satis mortálibus  
Ascéndit ad coeléstia,

Dexteræque Patris ássidet  
Consors patérnae glóriae.  
Quem iam suis promíserat,  
Sanctum datúrus Spíritum,  
Linguis amóris igneis  
Moestis alúmnis ímpluit.  
Solúta carnis póndere  
Ad astra Virgo tollitur,  
Excépta coeli iúbilo,  
Et Angelórum cánticis.  
Bis sena cingunt sídera  
Almae paréntis vérticem:  
Throno propíncua Filii  
Cunctis creátis ímparat.  
Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Vírgine,  
Cum Patre et almo Spíritu  
In sempitérna saecula.  
Amen.

v. Elégit eam Deus et prae-  
elégit eam.

R. Et habitáre eam fecit in  
tabernáculo suo.

*Ad Benedictus Antiph.* So-  
lemnitaté \* hordiérnam sanc-  
tíssimi Rosárii Genitricis Dei  
Maríae devóte celebrémus, ut  
ipsa pro nobis intercédat ad  
Dóminum Jesum Christum.

*Ad Primam.* R. br. Qui na-  
tus es.

*Ad Tertiam. Capit. de Lau-  
dibus.*

R. Sancta Dei Génitrix, \*  
semper Virgo María. Sancta.

v. Intercéde pro nobis ad  
Dóminum Deum nostrum. Sem-  
per. Glória. Sancta.

v. Post partum, Virgo, inviolata permansisti.

r. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

*Ad. Sextam. Capit. Eccli. 30.*

Floréte flores quasi lílum, et date odorem, et frondéte in grátiam; collaudáte cánticum, et benedícite Dóminum in opéribus suis.

r. Post partum, Virgo, \* inviolata permansisti. Post partum.

v. Dei Génitrix, intercéde pro nobis. Inviolata. Glória. Post partum.

v. Speciosa facta es et suávis.

r. In delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

*Ad Nonam. Capit. Eccli. 24.*

Quasi cedrus exaltata sum in Líbano, et quasi cyprésus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosae in Jéricho.

r. Speciosa facta es \* et suávis. Speciosa.

v. In delíciis tuis, sancta Dei Génitrix. Et suavis. Glória. Speciosa.

v. Elégit eam Deus et prae-elégit eam.

r. Et habitare eam fecit in tabernáculo suo.

## IN II VESPERIS.

*Omnia ut in primis praeter sequentia.*

### Hymnus.

Te gestiéntem gáudiis,  
Te sáuciam dolóribus,  
Te iugi amíctam glória,  
O Virgo Mater, pángimus,  
Ave, redúndans gaudio,  
Dum cóncipis, dum visitas,  
Et edis, offers, ínvenis,  
Mater beáta, Fílium,  
Ave, dolens, et íntimo  
In corde agónem, vérbera,  
Spinas, crucémque Fílii  
Perpéssa, princeps mártyrum.  
Ave, in triúmphis Fílii,  
In ígnibus Paráclyti,  
In regni honóre et lúmine,  
Regína fulgens glória.  
Veníte gentes, cárpite  
Ex his rosas mystériis,  
Et pulchri amóris ínclytæ  
Matri corónas néctite.  
Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Vírgine,  
Cum Patre et almo Spíritu  
In sempiterna saecula.  
Amen.

*Ad Magnificat. Antiph.* Beata Mater \* et intácta Virgo, gloriósa regína mundi, séntiant omnes tuum iuvámen quicúmque celebrant tuam Sanctíssimi Rosárii solemnitatem.

Se están imprimiendo el oficio y misa del Rosario: y los Sres. Sacerdotes que los deseen, podrán adquirirlos en la imprenta de este BOLETÍN.